

unam partem unius Comitatus, vel honoris nostri Regii in Regno nostro, a nostra perpetue mererentur obtinere Majestate; nam & ipsi Kres, Kupissa & Rak, in hujusmodi ipsorum agilibus certaminibus & praeliis, non parva ad capita & humeros eorum retulerunt, & viginti quinque fratres & proximos eorum vita miserunt exutos; nihilominus tamen, ut in aliqua parte suorum fidelissimorum obsequiorum & sanguinis effusione, ac fratrum & proximorum suorum nece miserrima, nec non expensarum plurima onerositate, a nostra Majestate se agnoscant benigne remunerati, hanc eisdem Kres, Kupissa, & Rak praebuimus gratiam & libertatem, ut a modo in aeternum illibati Nobiles, et veri aulices Regales censeantur, & cuncta militaria praeludia, ante conspectum Regium & alias ubivis facere valeant & possint. Quocirca quasdam spaciosas terras nostras Regales, unam contiguam terrae monasterii sanctissimae & intactae Dei Genitricis Mariae in Thoposzka, aliam in contiguitate terrae generationis Dresnik vocatas, omnes in Cottu. Zagradiensi sitas & habitas, per venerabilem virum Magistrum Farkassium Ecclesiae Albensis Praepositum & aulae nostrae Cancellarium, fidelem & dilectum nostrum, a Majestate nostra specialiter ad hoc deputatum, reambulatas, & separatim ab aliis possessionatis hominibus metaliter distinctas, & segregatas, et unam quamquam in suum gyrum confertas, ac omnibus commetaneis et convicinis earundem terrarum, palam & publice, ac lucide & manifeste denuntiatis & designatis, cum omnibus ipsarum terrarum utilitatibus, & pertinentiarum integritatibus, ac fructuositatibus universis, quovis nomine & vocabulo censitis & designatis, pro nostris fidelibus Kres, Kupissa, & Rak, de praedicto Syrmio, & eorum haeredibus, haeredumque successoribus, & posteritatibus universis, de consilio & beneplacita voluntate Praelatorum et Baronum ac Procerum Regni nostri universorum prae maturo, dedimus, donavimus, & contulimus, imo damus, donamus, & perreniter conferimus, & in scriptis nostris eisdem tenendas, gaudendas, & possidendas perpetue, et irrevocabiliter, patrocinio mediante confirmamus. Exinde quoque universos successores nostros, felices Reges Hungariae, in Christo Rege sempiterno devotissime obsecramus, ut haec nostra liberalis donatio, & personalis confirmatio, prae nominatis fidelibus nostris Kres, Kupissa, & Rak, ac eorum cunctis posteritatibus, perpetue indemniter, & illaesa, ac in omnibus suo modo observata valeant perdurare. Ita etenim, et eo modo servitia eorundem Kres, Kupissa, & Rak, ac eorum cunctarum posteritatum, de praedictis terris nobis & nostris successoribus Regibus Hungariae perpetuo vigeant, et per eosdem in aeternum administrari debeant, et teneantur; ut dum & quando Generalis & communis Regni exercitus, ad confinia ejusdem Regni, aut alias contra partes, & aemulos protervos, pro defensione proclamatus fuerit, & nos aut caeteri successores nostri Reges propria accederimus, vel accederint persona, ex tunc prae nati Nobiles nostri Kres, Kupissa, & Rak ac eorum posteritates, dum per Banum ac Capitaneos, vel Belli-Ductores Regios admoniti fuerint, semper tribus equitibus pharetrariis in eorum sumptibus ad quindecim dies sub Banderium Regium comparere parati sint, & teneantur. Transactis vero ipsis quindecim diebus, semper in nostro ac caeterorum Regum usuali stipendiali salario, et sumptibus, quo eisdem nos, ac caeteri Reges, aut Bani, vel capitanei, aut Regii Belliductores demandaverint accedere, & dummodo talis exercitus, ad propria rediverit, famulari debebunt, & tenebuntur. Decimas autem eorum, dum praedictas terras ipsorum gentibus appopulaverint, ex tunc ipsi, ac Jobagyones ipsorum, decimas in Provincia mona-